

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


**Dissertatio academica harmonico-biblico-philologica, qua
harmoniam vitarum loasi et Amasiae, regum Iudae, nec
non Iehu, Ioachasi atque Iosi regum Israel, ... Rectore ...
Guilielmo Henrico, ...**

Reime, Heinrich Gottlieb

Jenae, 1718

VD18 11299029-001

[urn:nbn:de:bsz:31-130477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130477)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

667/23

דִּסֶרְטַטִּיּוֹן אַקאַדעמִיִּשׁ;
DISSERTATIO ACADEMICA;
HARMONICO -- BIBLICO -- PHILOLOGICA,

QVA
HARMONIAM

VITARVM IOASI ET AMAZIAE,
REGVM IVDAE,

NEC NON

IEHV, IEHOACHASI ATQVE IOASI
REGVM ISRAEL,

DEO CLEMENTER ADVENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, JVLIIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGA-
RIÆ, GVESTPHALIAE, ET RELIQA,

EX SVPERIORVM CONSENSV

PRAESIDE

M. HENRICO Gottlieb Steime,

AMPLISS. FACVLTAT. PHILOSOPH. ADIVNCTO,

IV. Id. Decembr. M DCC XVIII.

EXHIBET

RESPONDENS

CHRISTIANVS Schulze/

MAGDEBVRGENSIS SAXO.

IENAE,

LITTERIS MULLERIANIS.

HARMONIAM

DEO CLEMENTER ADINVENTE

DI. GUILIELMO HENRICO

M. HENRICO

CHRISTIANVS

LITERIS MULLERIANIS

V I R O
SVMME VENERABILI AC EXCEL-
LENTISSIMO,
D O M I N O
IOH. FRIDERICO
BOTTERWECKIO,
IN COENOBIO B. VIRGINIS MARIAE PRAE-
POSITO AC PRAESVLI LONGE
SPLENDIDISSIMO,
ET
ORDINVM DVCATVS MAGDEBVRGICI
MEMBRO SPECTATISSIMO GRA-
VISSIMOQVE,
DOMINO, PATRONO ATQVE
FAVORI MAXIMO, ET AD CINERES
VSQVE DEVENERANDO,
HASCE CVRARVM ACADEMICARVM PRIMITIAS
ANIMO DEVINCTISSIMO AC GRATO
D. D. D.
R E S P O N D E N S.

VIR

SVMME VENERABILIS,

PATRONE MAXIME,

AD CINERES VSQVE DEVENERANDE.

MUltae sunt causae, quae
 me inuitarunt, vt hanc, tuo
 nomine venerando, dis-
 fertationem ornatiorẽ
 reddere audeam, pieta-
 temque meam erga TE ostendam.
 Sane si beneficia, quibus a TE ma-
 ctatus sum, paulo adcuratius per-
 pendam, verba mihi deesse videntur,
 quae ea satis, & qua decet obser-
 uantia, extollant atque depraedicent.
 Per quinque enim, & quod excurrit,
 annos,

annos, tu semper Fautor ac Patro-
 nus maximus mihi extitisti, nec un-
 quam talia praetermisisti, quae ad stu-
 dia mea augenda atque alenda usui
 esse potuerunt, & quod magis, nec
 nunc desinis etiam per litteras vitam
 meam academicam prudentissimis
 dirigere consiliis. Hinc factum est,
 ut pro tot tantisque beneficiis in me
 collatis, primum hocce curarum
 Academicarum periculum, primum-
 que academicum specimen Venera-
 bili tuo Nomini inscriberem, non
 dubitans quin illud tua, id est se-
 rena fronte accepturus, & tan-
 quam grati mei animi *Τεκμήριον* aequi
 bonique sis laturus. Interim ego
 summum Numen supplex veneror
 atque

atque obtestor, vt SPLENDIDISSIMVM
 TVVM NOMEN in posterum feruare,
 vitam felicem, perennem, omnibus
 molestiis carentem TIBI largiri, &
 contra omnes casus tristes fortiter,
 velit tueri. Vale & mihi & meis co-
 natibus in posterum fauere perge.

VIR SVMMÆ VENERABILIS

MAGNI TVI NOMINIS

Dab. Ienae d. 29.
 Nov. 1718.

*obsequiosissimus & deuotissimus
 cultor*

CHRISTIAN. SCHVLZE.



Thes. I.



Constituimus apud nos in praesenti,
connectere *historiam Regum Iudae,*
Ioasi & Amaziae, nec non *Regum*
Israel, Iehu Iehoachasi atque *Ioasi.* Si-
stemus ergo hac dissertatione har-
moniam vitarum Regum praeno-
minatorum ex collatione. *II. Reg. IX.*

30.-- XIV. 20. cum *II. Chron. XXII, 10.-- XXV. ad fin.*
Postea scilicet, quam *Achasis* Iudaeae Rex diem suum
obiisset, *Iehu* Israelitarum Rex novus pergit in delenda
& profus exstirpanda familia Achabi, & nonnulla alia,
laudabilia partim, partim vituperio digna perpetrat.
Vide - - -

Th. II. Interim, cum *Athalia*
percepisset mortem filii sui *A-*
chasiae, imperium sibi, ty-
rannice vindicat, delet
omni femine regio.

<i>II. Reg. Cap. v.</i>	<i>II. Chr. Cap. v.</i>
<i>IX. v. 30. ad</i>	
<i>finem usque</i>	
<i>it. Cap. X. per</i>	
<i>integrum.</i>	

<i>Cap. XI. 1, 2, 3.</i>	<i>XXII. 10. 11.</i>
	<i>& 12.</i>

A 2

NO.

NOTAE.

Haud indigna notatu hic est phraseos differentia, quae intercedit inter II. Reg. XI. v. 1. & II. Chron. XXII. 10. Ibi enim dicit Scriptura S. de Athalia, וְהָאֵבֶר אֶת כָּל זֵרַע הַמַּמְלָכָה, & male perdidit omne semen regium. Hic vero hanc locutionem sifit ac vsurpat: וְהָרַבֵּר אֶת כָּל זֵרַע הַמַּמְלָכָה, quam facile ex vsitatori vocis significatione redderes; *Et locuta est ad semen regium.* Quod cum aegre componatur & satis duriter cohaereat cum antecedentibus & subsequenter, facile etiam contradicat loco parallelo, ansam praebere poterat homini, animo imprimis leuiori praedito, corruptionem aliquam suspicandi. Ita vt vox וְהָרַבֵּר iammutanda sit in illam; וְהָאֵבֶר, quae in loco habetur altero. Sane non defuere, qui in hac versati sunt opinione, quos B. Glasius notat *Philol. S. Lib. III. Tr. III. Canone XXX.* Prouocat imprimis ad Iohannem Foersterum, Virum in Ebraea lingua exercitissimum, qui tamen in *Dictionario*, optimo alias & satis accurato, p. 158. expresse asseruit, vocem illam esse *inscitia Scribarum corruptam, vocum similitudine deceptorum, nec cogitantium, majorem fidem habere apud omnes doctos libros Regum, quam habent libri Paralipomenon, cum quod ad Grammaticam, tum etiam ad numerandi rationem spectat.* Addatur Grotius ad b. l., qui ex hoc capite mendum esse statuit, quod verbum רַבֵּר vix reperitur in sensu *interficiendi.* Cui, quod obiter hic obseruamus, opposuit Reu. Calouius in B. I. ad h. l. R. Mardochoi Nathanem, qui in *Concordantiarum Capitulis* notauit hanc significationem. Porro opponit vocem רַבֵּר. Vide,

Vide, quae infra dicturi sumus. Verura enim vero hoc quoque in loco citra ullam necessitatem fingitur corruptio. Cui iam pridem obuiam iuerunt interpretes tam Iudaei quam *Christiani*. E Iudaeis difficultatem huius varietatis prae caeteris sensit *Rasbius* ad II. *Cbr.* XXII. vbi ita commentatur: לשון דבר זבמלכים כתיב ותאכרו ועל הרור הזה אומר דוד למנצח על השמינית: שראת דוד ברוח הקדש שבדוד שמיני יורגו כל זרעו על ידי עתליהו: שהרי משלמה עד כאן שמנה דורות: ונתפלל שנשתייד זרעו לזכרון: ואומר הושיע יי כי גמר חסיד וגו': זבמלכים אומר שעל ידי סם המות הרגתם: שהרי כתיב שם ותגנוב אותו מתוך בני המלך הממותים: זקרינן המומתים: ויש אם למקרא ויש אם למסורת המומתים: שמתים וחולקין על ידי יסורים: לשון הוה ולא לאלתר: וזהו מיתת כישוף וסם המות שלא מתים לאלתר אלא חולכים ומדוכים בתחלואים ושוב מתים: ודוגמא ממותי תחלואי רעב כי גם הם אין: Reddimus ea sequentem in modum: *Utitur phrasi דָּבָר*. In libro autem *Regum* textus scriptus (exhibet vocem) *וְהָאֲכָרוּ*. Nam de hac generatione (dudum) praedixerat *Dauid* (*Psal.* XII. v. 1.); praecentori de octava (generatione subsequutura interfecitrice). Praevividit enim *Dauid* per Spiritum S. quod in generatione octava interfecituri sunt omnem ipsius posteritatem propter *Athalia*. Ecce enim inde a *Salomone* usque ad illud tempus octo (numerantur) generationes. Hinc precatur, ut residuum relinquatur semen eius in memoriam. Dicitque (hunc in finem I. c. v. 2.) *iuua Iehoua*, nam defecit pius &c. (Defecit ob cladem, per *Athalia* factam, mea posteritas).

Interim in libro Regum asserit, quod arsenico mortifero, (Athalia) interfecerit eos. Ecce enim (in textu, s. secundum literas in textu ipso exaratas,) scriptum est ibi: & furata est eum e medio filiorum הַמְּתוּחִים, (morte affectorum peculiari circumspectione. Legimus vero ratione רַב רַב. seu literae in margine collocatae), הַמְּתוּחִים (interfici iussorum). Iam vero, suae textum scriptum suae Masoram (sequaris), legendo הַמְּתוּחִים; sensus eius literalis est; quod mortui (interfecti) iam fuerint, (Quod Iehoscheba furtive abstulerit Ioasum, cum reliqui inter necioni dati iam essent), secundum Masoram. (Secundum Ketibh vero dicuntur) mortui, quod quotidie magis magisque morti viciniore redditi fuerint per castigationes (seuiores, lethales, quibus subiecti fuerint). Denotat aerumnam (mortis), sed non statim (ipsis inflitam). Hoc est, (insignitur) mors praestigis (seu artibus malis procurata), & veneficium mortiferum. Vbi non moriebantur statim, sed quotidie magis magisque frangebantur infirmitatibus, & tandem moriebantur. Quibus similes sunt, qui moriuntur infirmitatibus famis. Nam, neque hi subito corruunt. Querit itaque Raschius conciliationis fundamentum in aliqua allusione. Quia scilicet David in Psalmo citato dixerit, & praenunciaverit iam dudum necem, quam perpessura erat ipsius posteritas in generatione octava: Ideo hic, ubi hoc effatum & vaticinium euentui datum est, adhiberi sibi persuadet phrasin דבר, quae alias dicere, loqui, &c. denotat, quae clades haecce indicetur. At vero merus hic ingenii lusus ex analogia vocis רַב dicere desumptus negotium hic non conficit, sed iudaicum genium, gentisque huius nugae redo-

redolet, ipsis relinquendas. Imprimis cum structura & cohaesio *Psalmi XII.* ostendat, Dauidem in eiusdem compositione nil minus cogitasse aut intendisse, quam praefagium futurae cladis in sua progenie. Fueruntne forte fratres Achasiae, vel ipse etiam Achasia, inter pios memorandi, vt demortuis ipsis numerus piorum decreuisse dicendus sit? Longe aliter pronunciant paginae *S. II. Reg. VIII. 26. 27. seqq.* Filios vero Achasiae & fratrum eius quod attinet, illi procul dubio malorum coruorum mala exstitero oua. Cum ne Ioas quidem sincere satis **DEVM** suum coluerit, licet ex praesentissimo mortis periculo ereptus, & profus insignibus atque peculiaribus a **DEO** beneficiis maectatus fuerit. Et numquid soli hi numerum piorum constituisse dici poterunt, qui vix ac ne vix quidem in eorum numerum referri merentur? Itaque Dauid potius in genere de decremento pietatis piorumque in Ecclesia loquitur. Porro etiam, de impiis, qui pios opprimunt, quando sermonem instituit, ita loquitur, vt non nisi aperta vi ad factum Athaliae detorqueri queat. Conqueritur enim in *Psalmo* de vanis confabulationibus, dissensionibus, hypocrisis, superbiaque, quae se in sermone potissimum exerebat. Et quidem non de unius personae, sed impiorum omnium impietate in genere iterum sermo instituitur atque querela. Athalia autem sola necem Dauidicae posteritatis intentabat, & sane non confabulationibus meris, neque occulte, sed aperte, tyrannice & violenter perpetrabat singula atque impietatem minime occultabat. Denique accedit, quod Raschii allusio nexum textus *II. Chron. XXII.* haud reddit firmiorem aut magis conspicuum. Vnde interpre-

terpretes vocem השמנית non explicant de octava generatione, neque de ea explicare possunt, de qua in textu vniuerso nullus fit sermo. Sed rectius de instrumento Musico, interpretantur, ita vocato, quod procul dubio octo chordis gauisum fuerit. Sicuti habemus etiam decachordum *Psalms*. XXXIII. 2. XCII. v. 3. coll. CXLIV. 9. &c. Quo de tamen hic vt agamus, nostri instituti ratio non postulat, neque permittit. Conf. saltem *Aben-Esra* ad hunc *Psalms*. XII. v. 1. qui scribit : השמנית גיעים או פיות או יתר ; *Est amoenum canticum, aut carmen, aut neruus.* Quid? quod ipse *Raschius* ad hunc ipsum locum expresse fatetur; denotare vocem *Cytharam octo chordarum*. : שמנית כנור של שמנית נימין ;

Atque adeo in faciem sibi ipsi contradicit ipse *Raschius*. Merito itaque ambigimus de eo, quod *Dauidi* illa clades ab *Athalia* in ipsius posteritate commissa, reuelata fuerit vnquam; negamus autem fortiter, eam in hoc *Psalmo* a *Dauide* describi ac decantari.

Neque *Raschium* quicquam iuuat, quod inde a *Salomon* vsque ad *Athaliae* tempora octo generationes in *Dauidis* stirpe iusta successione sese exceperint. Id enim per accidens cum ipsius cogitatis quadrat, vel potius lusui ingenii sui ansam dedit procul dubio. Desistamus autem ab eiusmodi nugis vel ideo, quia supplendum foret ex *Raschii* mente substantium aliquod, & tale quidem cuius in toto hoc *Psalmo* nullum exstat vestigium aut vola. Substantium scil. גור, generatio. *Dauid* ergo in *Psalms*. cit. v. 2. non precatur, vt residua maneat posteritas sua, de qua conuictus erat, fore vt ea per secula duraret, & ante non exstingeretur, quam
Mes-

Mesias ex eadem prognatus esset. Petit potius David, ut numerus piorum hominum accrescat & inuale scat. Caetera, quae de genere mortis, quo Athalia enecarit Achasiae liberos, adfert Raschius, merito relinquimus in medio. Neque ea in medium attulisset, nisi nobis occasionem praeberent, dubium, quod ex collatione utriusque loci hic etiam oritur, tangendi, tollendique e medio.

Litera scilicet scripta, כתיב dici solita, cuius *ἑνευσία* merito veneramus, II. Reg. XI. 2. legit. **הַמִּסְתֵּי**, vel secundum analogiam, quam haec verba in coniugationibus grauib. alias seruant; **הַמִּסְתֵּי**, cum cura & sollicitudine interfectos *ex coniugatione Pūal*. Cum II. Chron. XXII. v. 11. eadem scripta litera legat **הַמִּסְתֵּי** *ex Hūphal. interfici iussi*. Quam discrepantiam Masora vel emendare vel indicare saltem voluit, vocem in utroque loco ex altero loco parallelo punctis notando, quo illius etiam lectionem attendemus. Hinc cum cura haec notavit Raschius. Licet nullum **כתיב** insit verum discrimen, nulla in utroque loco realis discrepantia. Vtrumque rectissime ita se habet: *Cum cura & peculiari circumspectione e medio sublatae sunt Achasiae posteris, quod liber Regum indicat: Siue id factum fuerit mediante veneno, quod Raschius ex hac voce collegit, siue alia aliqua ratione. Interfici etiam iussi sunt ab Athalia, quae causa erat primaria huius necis, & cuius iussu, ministrorum impiorum adminiculo, edita est impia haec laniena. Vtrumque in loco utroque satis circumspecte indicare voluit flamen facerrimum. Sed haec sufficere poterunt aduersus Raschium.*

B

Rectius

Rectius hic omnino sensit R. D. Kimchi, qui ad *b. l.* vocem **רבר** non solum recte explicauit per vocem **תָּמִית** *interemit*; sed & illustrauit hanc suam explicationem ex phrasi ea, quae *Exod. IX. 3.* habetur. Vbi Iehoua Pharaoni denunciat, se greges Aegyptiacos percussurum esse (**רבר כבר מאוד**) *peste longe grauisima*.

Et haec sane interpretatio caeteris est praefenda, cum optime sese habeat. Quemadmodum scil. substantiua, quae a radice **רבר** ortum sibi vindicant, *ut plurimum* notant *verbum, sermonem, rem, aliquid, rationem, &c.* & nihilominus hinc descendens **רָבַר**, licet non adeo frequenter occurrat, *pestem* denotat. Vti ex Lexicis & exemplis notum est. Vide saltem de postrema significatione *Leuit. XXVI. 25.* : **וְשִׁלַּחְתִּי רָבַר בְּתוֹכְכֶם** : *Et immittam pestem in vos. II. Sam. XXIV. 13.* **שְׁרוּשָׁה יָמִים רָבַר בְּאַרְצְךָ** *Trium dierum pestem in terra tua.* Adde *I. Reg. VIII. 37. I. Chron. XXI. 14. II. Chron. I. 28. &c.* Ita etiam verbum **רבר** ipsum significat *loqui, eloqui, praedicare &c.* Interim tamen significatus alter, quo denotat *perdere, interimere, &c.* penitus haud erat excludendus. Nouimus quidem & probe nouimus, autores quosdam, qui contrarium sentiunt, quos inter Foersterus primas facile tenet partes, penitus denegare verbo **רבר** significationem a nobis allegatam, nullumque statuit exemplum pro eadem solide militare. Ast vero nostra ex mente fallitur admodum. Quod vt demonstramus, opus est maturiori locorum consideratione.

Reiicit primo loco Foersterus significatum *interimendi* ad *Psal. XVIII. v. 48.* : **וּרְבַר עַמִּים תַּחֲתַי** : Pro quo legitur *II. Sam. XXII, v. 48. Prostrernit populum מוריד*

מוריר עמים תחתני *sub potestatem meam.* At vero licet hic significatum *occidendi* nemini velimus obtrudere, facile tamen patet, significationem *רִבֹּ לֹקוּי*, huic verbo alias vsitatam, locum omnino nullum inuenire posse. Sed talem hic obtinere, quae ad *רִבֹּ occidere, inserficere* longe accedit propius, *coercere* scilicet, *in ordinem redigere* &c. Qui significatus ad locum II. *Chron.* de quo disceptamus, commodissime applicatur, quia *Athalia omne regium semen ita coaruit*, vt sibi soli regia remaneret potestas. *Mir deucht / sie trieb den Königlichē Saamen gnug in die Enge.* Eiusdem omnino commatis est *Psal.* XLVII. 4. *sternit populos subter nos.* ידבר עמים תחתני Quod fieri aliter haud potuit, quam multos ex populo quouis occidendo, reliquosque sub potestatem Israelitarum coniiciendo. Nolumus prouocare cum aliis ad *Psal.* II. 5. quem locum Grotius etiam reicit. Quoniam ibi haud incommode vsitator significandi modus retinetur: *Tunc loquetur ad eos duriter in ira sua.* Id quod expressit *Lutherus* noster vere Magnus in sua versione. Quem hic sequimur eo etiam ex capite, quia apponitur statim locutio illa; ובהלוינו ובחרונו *et in ira sua conturbabis eos.* Perturbatio vero, hocce *בהל* indigitata, non solet mortem e vestigio sibi habere coniunctam. Vid. I. *Sam.* XXVIII. 1. *Iob.* XXI. 6. *Psal.* VI. 3. *Ierem.* LI. 32. *Pf.* VI. II. LXXXIII. 18. &c.

Sufficere possent loca praecedentia. Addimus tamen merito vnicum adhuc locum pro sensu *occidendi* manifeste satis pugnantem ex *Gen.* XXXIV. 13. vbi haec verba exstant: ויענו בני יעקוב את שכמ ואת חמור אביו: במרמה ודברו אשר טמא את דינה אחותם:

Quae ita reddenda: *Et responderunt filii Iacobi Sichemo & Chamoro patri suo dolose, nam internecionem meditabantur, quod prostituerat (Chamori filius Sichem) Dinam, sororem suam.* Plura, quod scimus, loca haud occurrunt, in quibus inusitator hicce significatus in verbo ipso obtineret. Id quod in Scriptura S. receptum omnino est in aliis vocibus. v. g. Vocula אֹבִיב notat *pythonem*, *Leu. XX. 27. Deut. XVIII. 11. Ies. XIX. 4.* אֹבִיבֹת *pythones*, *Leu. XIX. 31. XX. 6. Ies. VIII. 18.* Et nihilominus semel saltem significat *uteres*. *Iob. XXXII. 19.* Vocula אָבִיבִים idem ut plurimum est ac *frater*, nonnunquam tamen significat *euge*. Rarius idem est ac *focus*. Semel tantum idem est ac אָבִיבִים *vnus*. Radix אָבִיבִים ut plurimum habet significatum *tenendi. comprehendendi*, &c. nonnunquam tamen idem est ac *corripere*. Et ut ἐνραγόμενος id hic notem, exempla haec atque alia quamplurima ideo etiam erunt notanda, quò stabiliant explicationem verborum בֵּן שָׂנֵה, a nobis ad *I. Sam. XIII.* suppeditatam in *diff. de numero annorum Iudicum & Regis Saulis.* Plura interim exempla hic haud cumulamus praeter necessitatem. Facile vero exinde colligitur, radicem רָבַר, licet ut plurimum notet *eloqui, loqui* &c. posse tamen & debere vi textuum nonnullorum reddi per *coercere, interimere*, &c. & in nostro loco minimum generaliorem illam *coercendi* significationem obtinere, quod coeuerit semen regium, vel potius ex circumstantiis textus clarissimis specialiore illum *interimendi* significatum locum inuenire. Suppetias fert huic nostrae explicationi lingua *Arabica*, omnium amplissima, in qua *primaria*, quod probe notandum, radicis تَبَرَّ significationis est, ut significet

cet

cet interiit, *periiit, exitio dedit.* Et licet nomen ⁵ ⁶ *تَبْرِيْر*
tabbriron, ab hac radice descendens, apud *Arabes* etiam
 significet *rem aliquid*, prorsus uti *Ebraeorum* ⁵ ⁶ *תברר*. Ut
 plurimum tamen nomina Arabica singula, tam nuda
 quam aucta, ab hac radice prouenientia significant *in-*
teritum, perniciem. v. gr. ⁵ ⁶ *تَبْر* *fractio, perditio.* ⁵ ⁶ *تَبْر*

Fragmentum vitri. ⁵ ⁶ *تَبْر* *exitium, interitus.* &c. Porro
 ipsa radix ⁵ ⁶ *تَبْر* non modo significat, *ulceratum esse, ex*
intertrigine laborare; sed & ab eadem nomen ⁵ ⁶ *تَبْر*

Ebr. ⁵ ⁶ *תברר* accurate respondens, descendit, *mortem pri-*
mario significans. Obtinet ergo, ad II. *Cbr.* significatus
interficiendi. quem suadet Parallelismus Linguarum, suadet
 locus ex asse Parallelus II. *Reg.* XI. Suadet denique tex-
 tus Paralipomenon ipse, cum suis circumstantiis, quae
 mortem filiorum Regionum manifestant. Suadet eun-
 dem tandem fortiter nomen ⁵ ⁶ *תברר* *pestis.* Quemadmo-
 dum enim nomen naturam verbi quotidie sequi solet,
 quoad qualitatem non minus; quam coniugationis ca-
 racterem. Id est: non quoad externam tantum formam,
 sed & quoad intimiorem verbi indolem; ita eo imprimis
verbi pertinet significatio. Hanc igitur inter caetera
 nomen quoque, a verbo deriuandum, imitetur, neces-
 se est. Nomen itaque talem significationem repraesentare
 solet, qualis in ipso verbo latet. Vnde haud fa-
 cile in nomine talis aderit significatio, cuius non in ipso
 verbo adsint vestigia, ut plurimum satis luculenta. Cum

itaque nomen רָבַר *pestem*, & quidem frequenter innuat, sequitur sponte, nomen debere hanc significationem verbo, cui analogia competit significatione. Quae vero magis analogia esse possit, quam *coercere, occidere, interimere?* Res sane hic sese haud aliter habet, ac cum voce רָר *cornu*, quae primaria est hujus vocis significatione. Et nihilominus ipsius radix ne quidem in Kal in significatione, significationi nominis analogia occurrit. Sed semel saltem in Hiphil occurrens significat *cornibus gaudens* Ps. LXIX. 32. Apud Arabes tamen in prima etiam conjugatione occurrit satis frequenter, & in significatione etiam satis conuenienti. Ibi scil. קָרַן *Karana*, idem est ac; *junxit unum alteri, coniunxit, simul sumisit, simul peregit res duas, nexuit iugavitque subiecta duo, &c.* Quod ad *cornua* facile applicatur, imprimis cum in eadem lingua. קָרַן *cornu* denotet.

His sese habentibus, & licet רָר a radice inusitata descendens, Ebraeis cornu significet ut plurimum, *rarius* tamen sub eadem forma externa splendorem indigitat. Obseruantibus interpretibus, & notante imprimis Summe Reu. Dn. v. der Hardt / Philologo insigni, in *Nebemia suo* ad Ps. CXII. eiusque v. 9. Qui apposite רָר effert per *roglwic, eine Hoheit*. Ita ut verbum eius itidem in hac significatione occurrat aliquoties, ut significet *radiare, splendere*, Exod. XXIV. 29. 30. 35. similem ergo analogiam, cur denegemus רָר, cum nominibus hinc descendentibus, haud deprehendimus.

Neque obstat, quod verbum וְרָר eandem profus

sus formam retineat, quam exhibere solet, quando significationem *edifferendi* postulat. Quod tamen vel vnice autoribus aliquibus ansam, corruptionem suspicandi, praebuit. Nihil enim obstat, quominus eadem vox diversam sub eadem forma externa nancisci possit significationem. Exempla paulo ante suppeditauimus, in quibus eadem externa facies, longe tamen diversus apparebat significatus: Ex quo aliisque fundamentis olim in *diff. de Achasia*, Iudaeae Rege, aetate non maiore parente suo Ioramio, insignem, quae exurgebat, e medio sustulimus difficultatem. Quod in hoc loco ex eodem inter alia fundamento itidem fit facili negotio. Vnde nunc saltem ad ipsam vocem *קָרַר* & hinc descendencia prouocare nobis concessum erit. Ea sane *Hof. XIII. 14.* in phrasi *אָרִי* Ero tibi *pestes*, in *pestes*, *מֹת קָרַרִי* o mors, eandem faciem induit externam, quam alias quotidie tum induit, quando idem est ac *verba tua*, v. g. *Iof. I. 18.* Et non obtemperauerit *קָרַרִי* *verbis tuis Dan. X. 12.* Coram DEO exaudita sunt *verba Tua*. Adde *Ezech. XXXIII. 31. 32. Jerem. XV. 16.* &c. Quae cum omnia ita se habeant, & ex indole linguae constent, facile patet, nil quicquam opus esse, vt fictam scribarum incitiam praeponamus consensui exemplarium omnium citra vllam vrgentem necessitatem. Leuiorum is animorum solet esse genius, qui a quouis sacrarum paginarum interprete longe abest, imo quam longissime abest. Neque quicquam opus, fidem *תָּוַן* Paralippomien^{av} in dubium vocare ob difficultates, quae, si accuratius eas inspexeris, nullae sunt. Imprimis, cum etiam appareat, locum Chro- nicorum haud laessendum esse vel ex illo capite, quod

quod literae ¶ & N quam difficillime, & ne quidem ab imperiũssimo scriba confundi queant.

Th. III. Ioiada, summus Pontifex, Ioasum, diuinitus conseruatum, legitimum coronae haeredem, in Regem inungere adgreditur. Cuius rei gratia foedus ferit cum Proceribus populi.

II. Reg. Cap. v.

II. Chr. Cap. v.

XI. 4.

XXIII. 1.

Th. IV. Qui conuocant Leuitas & reliquos Primates pro conficiendo eo felicius hoc instituto. Et sic tota cohors foedus pangit cum futuro Rege iuuenē.

XXIII. 2. 3.

Th. V. His in tres turmas diuifis, Ioiada custodias disponit. Nouus interea Rex producit, populo applaudente. Cuius audito plausu Athalia in publicum procedit, sed occiditur. Ioas vero regio in throno collocatur.

XI. 5. --- XII.

XXIII. 4. XXIV

Th. VI. Ioas, dum Ioiada viuit, pius, excelsa tamen non destruit.

V. 3.

V. 2.

Th. VII. Dnas vxores ducit, & templo renouando operam impendit.

XII. 4.

XXIV. 3. 4.

houp

cu. 88

Cuius rei ergo pecuniam, quae a populo in templum inferri solebat, sacerdotibus colligendam tradit.

Th. VIII. Porro sacerdotes cum Leuitis in vrbes Iudae emittit, vt ad hunc vsum opes colligerent maiores. Qui vero commissum negotium negligunt.

Adde

Vnde eos Rex conuocat, eorumque negligentiam increpat. Summi primum sacerdotis.

Deinde & reliquorum.

Th. IX. Necesitatem instituti sui vrget.

Prius tamen consilium quadantenus immutant.

Rex nouum pecuniam colligendi modum proponit.

Qui acceptatur, & incipit executioni dari.

Publice etiam promulgatur & laetum consequitur euentum.

II. Reg. Cap. v. II. Cbr. Cap. v.

5. 6. 7. 8. 9. 10.

v. 7. 8. 9. 10.

XXIV. 7.

9. 10.

Mul.

C

Multum enim argenti colligitur, & opificibus artificibusque distribuitur.

Th. X. Maxime vero necessaria vt eo felicius absoluantur, abstinent a conficiendis vasis aureis argenteisque.

Industrie interim omnes opus conficiunt.

Et non minus fideliter.

Th. XI. Sacerdotibus interim relinquuntur sua.

Et ex residua demum pecunia vasa conficiuntur aurea & argentea.

Sacerdotibus tamen manent pretia sacrificiorum pro reatu atque peccatis.

Th. XII. Ioas Rex, mortuo Ioiada Pontifice, Praeceptore fideli, in impietatem delabitur.

Vnde, DEO puniente, Chafael Syrorum Rex Iudaeam inuadit, & vrbi Ierufolymae obsidionem minatur.

II. Cbr. Cap. v. II. Reg. Cap. v.

11. 12.

11. 11.

13. 14.

15.

13.

16.

16.

17.

XXIV. 15.

22.

18.

XXIV. 23.

Quo.

Quoad loci posterioris prius hemistichion.

Hostiliter saltem contra Iudaeos agunt. Vid. hemistichion posterius.

Th. XIII. Ioas thesauris templi pacem a Syro redimit.

DEO ita dirigente haec facta esse omnia asseritur.

Th. XIV. Clauditur historia Ioasi.

Th. XV. In regno X. tribuum Iehoachas & Ioas regnant.

Th. XVI. In Iudaico imperio Amazias thronum interfecti patris occupat.

Qui excelsa non destruit.

Mox ultionem sumit ab autoribus de trucidato parente suo.

Th. XVII. Exercitum sibi comparat, & Israelitas, ad copiosorem reddendum exercitum emptos, a DEO admonitus dimittit.

II. Reg. Cap. v.

II. Chr. Cop. v.

T O N

V. 23e

19.

24.

XII. 20. 21. & 22.

XXIV. 25. 26. & 27.

C. XIII. per integrum,

XIV. 1. 2. & 3.

XXV. 1. 2.

4.

5. 6.

3. 4.

XXV. 5. 10.

C 2

Th.

Th. XVIII. Debella
Edumacos.

(10) 58

II. Reg. Cap. 9. | II. Chr. Cap. v. |
XIV. 7. | - II. 12. |

NOTA

II. Reg. XIV. dicitur vnice, quod *Amazias* 10000. Edumacos percussit, & rupem occupauit; cum praeter haec II. Chr. XV. 12. referatur, *Amazias exercitum. 10. etiam millia virorum viua comprehendisse, & captiuos ex cacumine petrae praecipitasse.* Sed primo statim intuitu apparet, supplere saltem locum alterum, quod omiserat alter. Vti id in scriptura f. receptum, & ybiuis fere obuium est. Vnde haec recte neglexere interpretes, nullum sibi hic dubium formantes. Nisi quod *Kimchi* ad locum Reg. dextre scribit:

זכר המכים בני המלח: ולא זכר השאר שאומר
ברבנו הימים עור עשרת אלפים שבו חיים וביאום
להאש הסדע וישליכום מראש הסדע וכלם הבקעו:

Hoc est: *Recenset percussos in valle Salis.* Non vero recenset reliquos, de quibus dicit locus *Paralippomenon*; adhuc 10. millia captiuorum comprehenderunt viua, & deduxerunt eos in verticem petrae, & praecipitarunt eos e cacumine rupis, & omnes suffocati sunt. &c. Nos pauca haec tangere modo voluimus, vt omnem contradictionis speciem e medio tolleremus, ne vllam ista lecturo remoram iniicerent.

VXX

IT

Th

Th. XIX. Israelitae, ab Amazia dimissi, tria Iudaeorum millia interficiunt. Amazias in idololatriam delabitur.	II, Reg. Cap. v.	II. Chr. Cap. v.
Vnde cum Rege Israelitarum infeliciter pugnat.	8. 14.	13. -- 16.
Historia Ioasi, Regis Israel finitur.	15. 16.	17. -- 24.
Th. XX. Amazias, Iudaeorum Rex a suis interficitur.	17. -- 20.	25. -- 28.

DEO SOLI GLORIA!



35 (0) 56

Nobilissimo, doctissimo ac amantissimo

RESPONDENTI,

CHRISTIAN. SCHVLZIO,

Auditori perindustrio ac felici,

Ciui ornatisimo,

Amico suavisimo,

S. O. D.

P R A E S E S.



X quo agnati Tui honoratissimi, mater sigillatim prudentissima, ac sequioris sexus virtutibus admodum conspicua foemina, eam de me conceperunt fiduciam, fore, ut studiis Tuis dirigendis atque promouendis fidelem impenderem operam, in id semper fui intentus, ut spe illos sua non frustrarer. Hinc factum est, ut non tantummodo dispicerem, quomodo pie ac tran-

tranquille, imo & commode viuere possis, & vt mens
 tua a conturbationibus, quae exoriri & aliunde con-
 citari tibi poterant, liberaretur & bonarum artium
 literis vnice consecrata maneret: sed & in id omnem
 nauarem industriam, vt Collegia Academica a Te ta-
 lia seligerentur, quae Tibi vsui esse poterant, & apud
 tales frequentarentur, qui apud nos probatae erudi-
 tionis, industriae ac fidei viri audiunt. Neque infeli-
 citer, DEO sit laus! adhuc id cesit nobis negotii,
 postquam tu diligentiam infimul Tuam probasti singu-
 lis, & nihil eorum praetermissisti, quae ad augenda
 studia Tua facere, poteras colligere. Iam recte agis,
 quod publicum eruditionis Tuae, quam hic Tibi
 comparuisti, edere decernis specimen, & dissertatio-
 nem Academicam publica in cathedra defendere in-
 sumis in animum. Ego nullus dubito, fore, vt ma-
 scule eandem tuearis, postquam cum voluptate de-
 prehendi, Te mentem meam acu vbiuis tetigisse
 ac penetrasse. Id quod inter alia abunde patet ex du-
 biis, quae Tibi inter perlegendam hanc disserta-
 tionem fuere subnata, & a Te mecum communica-
 ta. Angebaris, quod in ea nil speciatim monitum
 inueniebas de nece filii Ioiadae summi sacerdotis, iussu
 Regis Ioasi facta, & II. *Cbrou.* XXIV. 21. descripta. Sed
 obserues, *AMANTISSIME SCHVLZI!* quod ego in
 hisce dissertationibus harmonicis *talia modo dicta*
Biblica tangere & enodare apud me decreuerim, quae
contradictionem quandam videbantur inuoluere ex colla-
tione librorum Biblicorum harmonica: Caetera omitto
 volens

volens & ex instituti ratione. Deinceps mouebat Tibi dubium, quod nomina eorum, qui Ioasum, Iudaeae Regem, interfecere, longe alia recenseantur II. Reg. XI. 20. quam quae habentur II. Chr. XXIV. 26. Sed scias, me discrimen horum nominum hic ideo pluribus excutere noluisse, quod iam alibi in meis dissertationibus obseruau; *vni personae plura saepe data fuisse nomina, eademque variis saepe modis fuisse inflexa*, quod & hodie fieri assolet. Confer, quae a me notata sunt in *harmonia vitae Dauidis p. 15. sq. p. 20. &c. it. in diss. de harmonia vitae Rechabeami Abiae ac Asae p. 42. seqq.* vbi haec talia pluribus discussa obseruabis. Ex quibus etiam colligi poterit, quid de eo statuendum, quando Iehoscheba, vti appellatur II. Reg. XI. 2. Iehoschebat vocatur in loco *Chronicorum* parallelo. Porro pugna quaedam suboriri Tibi videbatur ex collatione II. Reg. XII. 21. vbi Ioasus interfectus dicitur in Beth - Millo, cum tamen II. Chron. XXIV. 15. in lecto suo necatus referatur. Sed & hoc facile cessabit dubium, si obseruaueris, alterum modo locum supplere, quod omiserat alter, id quod libris Biblicis atque autoribus sacris admodum est frequens. *In lecto suo trucidatus fuit Ioasus, ille autem lectus positus fuit in Beth - Millo. Millo enim partem existisse splendidissimae olim urbis Ierusalem, ex II. Sam. V. 9. manifestum est.* Denique contrarium Tibi videbatur id, quod II. Reg. XII. 22. narratur, ministros Ioasi eum sepeluisse prope maiores suos

suos in ciuitate Dauid; ei, quod recensetur II. Chron.
 loco parallelo, eodem non sepeliuisse illum in sepul-
 cro Regum, majorum suorum. Sed & hic vterque lo-
 cus recte sese habet. *Sepultus equidem fuit Rex Ioas Ie-
 rusalem in vicinia sepulcrorum maiorum suorum, sed
 locus ipse ad loculos eorum proxime non est locatus.*
 Interim hae & aliae a Te mihi motae difficultates di-
 ligentiam ac ingenii sagacitatem abunde comprobant,
 & spem faciunt, fore, vt non tantum fortiter stes
 in acie Academica, sed & aliquando DEO, eius-
 que honoribus, ac Ecclesiae eiusque emolumento,
 siue in dilectissima vtriusque nostri patria (cui vt nunc &
 per aeva secutura bene sit, precibus a DEO ardenti-
 bus contendere non intermittam,) siue alibi loco-
 rum inseruias cum fructu. Faxit id diuinum Nu-
 men, quod ab eius benignitate spero & animitus
 expeto. Vale, in studiorum Tuorum egregio cur-
 su, strenue perge, omnia feliciter age, ac me amare
 nunquam desine. Dabam e museo ipsis
 Decembris Calendis.

H / Berthgeschäfter Freund,
 die Proben Deiner Müß /
 Vor der Gelehrten Welt / sich an die
 Sonne legen;

D So

So heist mich meine Pflicht mit wenigem
erwegen:

Der Freunde Herz und Mund sey eine
HARMONIE.

Denn/ als mich MAGDEBURG in sei-
ne Mauren schloß/

Ließ zwar Dein werthes Hauß mich man-
che Gunst genießen;

Doch/ als die Deinen Dich nach Jena ge-
hen hießen

Wurd die Gewogenheit noch mehr/ als vor-
hin/ groß.

Die süsse HARMONIE von Deiner Tugend- Art/
So wie die schönste Frucht vom frischen Bau-
me fällt/

War auch in Deiner Brust auf gleichen
Thon gestellet

Und hatte sich mit mir in gleicher Gunst
gepaart.

Was Wunder/ wenn ich Dir so dann ver-
pflichtet bin?

Wer diese HARMONIE in rechten Ernst erweget/
Und ihre Eigenschaft in seinem Busen trägt/

Der giebt sein treues Herz zum ächten Pfan-
de hin. So

AS (o) SE

So nimm dann **Werthester**, der heißen
Wünsche Loh/
Und glaube / daß mein Herz nicht einen An-
strich leidet/
Vielmehr der Schmincke Dunst / als etwas
eitles / meidet.
Der Höchste mache Dich mit seinem Segen
froh.

Das Glück sey mit Dir in einer HARMONIE,
Und cröne Deinen Fleiß mit Ehren-vollen
Früchten.

Kein Unfall müsse Dir den edlen Schluß zer-
nichten /

Damit Dein Tugend-Schmuck / gleich de-
nen Palmen / blüh!

Seine Ergebenheit glückwünschend zu
Bezeugen schrieb dieses seinem Werth-
geschäkten Freunde zu Ehren

Erdmann Gottlieb Andreae,
S. S. Theol. C. Vetschouia - Lufatus.

AS (o) SE

So nimme denn die
 Besondere
 und gedenke das mich nicht ein
 Bistum der Schmecke
 der Besondere mich mit
 Das Gedenke mich in einer
 und ohne einen
 kein laß mich die den
 damit die
 um

Seine
 Besondere
 Besondere

Christian
 2. 2. Theol. C. Verlehenia. Janus

6. Br. Corin

1. Korin

2. Korin

3. Korin

4. Korin

I, A

